Adiuro te p̱ filiũ dei vt nũc dicas
corã omnib⁹ ſi ego te genuerim Et
ille Nõ tu inquit es pater me⁹ Po
pulo aũt vrgente vt quis eſſet paṫ
requireret ille ait Nõ eſt hoc meuȝ
feci quod ad me ptinuit Populus
aũt hoc totũ magicis artib⁹ attri/
buebat dicens Nequaq̃ȝ nobis fal
ſo paſtoris nomie dñaberis Tunc
ille ꝓ ſui purgatione prunas ardẽ/
tes vſq̃ȝ ad tumbaȝ ſancti martini
cũctis videntib⁹ deportauit Proie
ctiſq̃ȝ prunis veſtis ei⁹ illeſa apparu
it et ait. Sic hoc veſtimentũ a pru/
nis manſit illeſum ſic corpus meuȝ
a ↄtactu mulieris eſt munduȝ Po
pulo aũt adhuc nõ credẽte ſanctũ
bricciũ ↄtumelijs ⁊ iniurijs afficiũt
et a ſua dignitate eijciũt vt verbuȝ
qđ ſanct⁹ martin⁹ dixerat impleret̃
Tũc bricci⁹ flens papã adijt et.vij.
annis ibidẽ pmanẽs quicq̃d in ſan
ctũ martinũ deliq̃rat penitendo de
leuit Populus aũt iuſtinianũ prefe
cit et romã ↄtra bricciũ miſit vt epi
ſcopatũ ↄtra bricciũ defẽſaret.quo
cũ tenderet in ciuitate vercellenſi vi
tã finiuit et armeniũ loco eius po/
pulus omnis p̃fecit Septio igit̃ an
no bricci⁹ cũ autoritate pape redi/
ens ſexto ab vrbe miliario hoſpiciũ
accepit et armeni⁹ eadẽ nocte ſpm̃
exalauit Qđ bricci⁹ p̱ reuelationeȝ
ↄgnoſcẽs ait ſuis vt ſurgerẽt et ſe/
cũ ad tumulandũ turonẽſeȝ epm̃ ꝓ
perarẽt. Cũ ergo bricci⁹ ciuitatẽ p̱
vnã portaȝ ingrederet̃ ille p̱ aliaȝ
mortuus efferebatur Quo ſepulto
bricci⁹ ſedẽ ſuã accepit.et.vij.p⁹mo
dũ ãnis p̃ſidẽs et vitã laudabilem

ducens.xliij.anno epat⁹ ſui in pace
quieuit

De ſãcto Remigio reqre in fine lib

De nomine

Cecilia q̃ſi celi lilia. vel cecis
via.vł cecilia q̃ſi cecitate ca
rens.vel dicit̃ a celo et leos qđ eſt
ppl̃s Fuit eni celeſte liliũ p̱ v̾ginita
tis pudorẽ.cecis via p̱ exẽpli infor/
mationẽ.celũ p̱ iugẽ ↄtẽplationem
Lilia p̱ aſſiduã opationeȝ.cecitate
carẽs p̱ ſapiẽtie ſplẽdorẽ Fuit ⁊ ce
lũ ppl̃i qꝛ in ipaȝ tanq̃ȝ in celũ ſpũa
le ppl̃s ad imitandũ intuet̃ ſolẽ ⁊ lu
nã et ſtellas.i.ſapiẽcie pſpicacitatẽ
fidei magnanimitatẽ.et v̾tutũ vari
etatẽ.vł dicit̃ liliũ qꝛ cãdorẽ habu/
it mundicie.virorẽ ↄſcie.odoreȝ bo
ne fame.vel dr̃ celũ.qꝛ ſicut dic̃ Iſido
rus.celũ ph̃i volubile ⁊ rotundũ ⁊
ardẽs eſſe dixerunt Sic ⁊ ipa fuit
volubilis p̱ opationẽ ſollicitã.rotũ
da per perſeuerantiaȝ. ardens per
caritatem ſuccenſam.

De ſancta Cecilia

Cecilia virgo p̃clariſſima ex
nobili rõnoꝝ genẽ exorta
⁊ ab ipis cunabulis in fide
xp̃i nutrita.abſcõditũ ſp̱ euãgeliuȝ
xp̃i gerebat in pectore et nõ dieb⁹
neq̃ȝ noctib⁹ a colloq̃is diuinis ⁊ orõ
ne ceſſabat.ſuam q̃ȝ v̾ginitatẽ ↄſer
uari a dño exorabat Cũ aũt cuidã
iuueni noie valeriano deſpõſata fu
iſſet et dies nuptiaꝝ inſtituta eſſet
illa ſubt⁹ ad carnẽ cilicio erat indu
ta et deſup̱ deauratis veſtib⁹ tege
bat̃.et cãtantib⁹ organis illa in cor
de ſuo ſoli dño cui adheſit cãtabat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicēs Fiat cor meū dn̄e et corpus
meū imaculatū vt nō ɔfūdar Et bi
duanis ac triduanis ieiunijs orās
ɔmēdabat ſe dn̄o quē timebat. ve
nit aūt nox in qua ſuſcepit vna cuȝ
ſpōſo ſuo cubiculi ſecreta ſilentia ⁊
ita eū alloquit̃ O dulciſſime atqȝ a/
mātiſſime iuuenis eſt miſteriū qđ ti
bi ɔfitear ſi mō tu iurat⁹ aſſeras to
ta te illud obſeruātia cuſtodire Ju
rauit valerian⁹ ſe illud nulla neceſſi
tate detegere. nulla ꝓdere ratione
Tūc illa ait Angeluȝ dei habeo a/
matorē qui nimio ȝelo cuſtodit cor
pus meū Hic vel ſi leuit̃ ſenſerit ꝙ
tu me polluto amore attingas ſta
tiȝ feriet te et amittes florē tue gra
tiſſime iuuētutis. Si aūt ɔgnouerit
ꝙ me ſincero amore diligas ita q̊ȝ
diliget te ſicut et me et oſtēdet tibi
gratiā ſuā Tūc valerian⁹ nutu dei
corrept⁹ ait Si vis vt credam tibi
ipm angeluȝ mihi oſtende et ſi vere
ꝓbauero ꝙ āgelus ſit faciā quod
hortaris Si aūt viꝝ aliū diligis te
et illū gladio feriaȝ Cui cecilia Si
in deū veꝝ credideris et te baptiſa
ri ꝓmiſeris ipm videre valebis Ua
de ergo in tertiū miliariuȝ ab vrbe
via que appia nūcupat̃ et pauperi/
bus quos illic inuenies dices Ceci
lia me miſit ad vos vt oſtēdatis m̄
ſanctū vrbanuȝ qm̄ ad ipm habeo
ſecreta mandata que ꝑferam Ihūc
duȝ tu videris indica ei omnia ver
ba mea Et poſtqȝ ab eo purificat⁹
fueris et redieris angelum ipm vi/
debis Tūc valerian⁹ perrexit et ꝺm
ſigna que acceperat ſanctum vrba
num epiſcopū intra ſepulcra mar/
tirum latitantem inuenit Cumqȝ ei
omnia verba cecilie dixiſſet. ille ma
nus ad celum expandens cuȝ lacri
mis ait Domine Jheſu xp̄e ſemina
tor caſti conſilij ſuſcipe ſeminuȝ fru
ctus quos in Cecilia ſeminaſti Do
mine iheſu xp̄e paſtor bone Cecilia
famula tua quaſi apis tibi argumē
toſa deſeruit Nam ſponſum quem
quaſi leonem feroceȝ accepit. ad te
quaſi agnum māſuetiſſimū deſtina
uit Et ecce ſubito apparuit ſenex q̄
dam niueis veſtibus indut⁹ tenēs
librum aureis litteris ſcriptū Quē
videns valerian⁹ pre nimio timore
quaſi mortu⁹ cecidit ⁊ a ſene leuat⁹
ſic legit Un⁹ deus vna fides vnuȝ
baptiſma. vnus deus et pater oim̄
qui ſup̄ omnes et per omnia et in
omnibus nobis. Cum qȝ hoc legiſ
ſet dixit ei ſenior Credis ita eſſe an
adhuc dubitas? Tunc ille exclama
uit dicens Non eſt aliud quod ve
rius credi poſſit ſub celo Statimqȝ
illo diſparente Ualerianus a ſāncto
Urbano baptiſma ſuſcepit et redi
ens Ceciliam cum angelo loquen
tem in cubiculo inuenit. Angelus
autem coronas duas ex roſis et li
lijs in manu habebat. et vnam Ce
cilie et alteram valeriano tradidit
dicens. Iſtas coronas immacula
to corde et mundo corpore cuſto/
dite quia de paradiſo dei eas ad
vos attuli. nec vnq̄m marceſcunt.
nec odorem amittent. nec ab alijs
niſi quibus caſtitas placuerit vide
ri potuerunt Tu autem valeriane
quia vtili conſilio credidiſti. Pete
quodcūqȝ volueris. Cui valerian⁹

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nihil mihi in hac vita extitit dulciꝰ
ꝙ̃ vnicꝰ fratris mei affectus Peto
igit̃ vt et ip̄e mecū veritatē agnoſ/
cat Cui angelꝰ Placet dn̄o petitio
tua et ambo cū palma martirij ad
eū venietis Poſt hoc ingreſſus ty
burtiꝰ frat̃ valeriani cū nimiū roſa
rū ſenſiſſet odorē dixit Miror hͦ tp̄e
roſeꝰ hic odor et lilioꝝ vn̄ hic reſpi
rat Nā ſi ip̄as roſas vel lilia in ma
nibꝰ meis tenereʒ. nec ſic poterant
odoramēta tante michi ſuauitatis
infundere Cōfiteor vobis me ſic eſ
ſe refectū vt putē me totū ſubito im
mutatū Cui valerianus Coronas
habemꝰ q̄s tui oculi videre nō p̄ua
lēt flores roſeo colore et niueo can
dore vernātes Et ſic̃ me interpellā
te odorē ſēſiſti ſic etſi credideris vi
dere valebis Cui tyburtiꝰ In ſōniſ
hec audio. an in ꝟitate iſta tu loq̄/
ris valeriane? Cui valerianꝰ In ſō
nis vſqꝫ modo fuimꝰ. ſꝫ nūc in veri/
tate manemꝰ Ad quē tyburtiꝰ Vn̄
hoc noſti? Et valerianꝰ Angelꝰ dn̄i
me docuit quē tu videre poteris ſi
purificatꝰ fueris et omnibꝰ ydolis
abrenūciaueris Huic miraculo de
coronis roſaꝝ atteſtat̃ ambr. in p̄
fatione ſic dicens Sancta cecilia ſic
celeſti eſt dono repleta vt martirij
palmā aſſumeret ip̄ꝫ mūdū eſt cuꝫ
thalamis execrata Teſtis eſt vale/
riani cōiugis et tyburtij ꝓuocata
ꝯfeſſio q̄s dn̄e angelica manu odo
riferis floribꝰ coronaſti Virgo vi/
ros duxit ad gloriā. mundꝰ agno/
uit quantū valeat deuotio caſtita/
tis Hec ambroſiꝰ. Tunc cecilia eui
denter oſtendit ei om̄ia ydola eſſe

inſenſibilia et muta. ita vt tyburtiꝰ
reſpōderet et diceret. Qui ita non
credit pecus eſt. Tunc cecilia oſcu
lans pectus eiꝰ dixit Hodie te fate
or meū eſſe ꝯgnatum. Sicut enim
amor dei fratrem tuū mihi ꝯiugeʒ
fecit. ita te mihi ꝯgnatū ꝯtemptus
faciet ydoloꝝ Vade ergo cū fra/
tre tuo vt purificationē recipias et
angelicos vultus videre valeas.
Dixitqꝫ tyburtius fratri. Obſecro
te frater vt mihi dicas ad quē me
ducturus es Cui valerianꝰ Ad vr/
banū ep̄m. Cui tyburcius. De illo
vrbano dicis qui totiens damna/
tus ē et adhuc ꝯmorat̃ in latebris
Hic ſi inuentus fuerit cremabit̃. et
nos in illius flammis parit̃ inuol/
uemur Et dum querimꝰ diuinitatē
latentē in celis. incurremus furorē
exurentem in terris Cui cecilia Si
hec ſola eſſet vita. iuſte hanc perde
re timeremus. Eſt autem alia meli
lior que nunq̄ꝫ amittitur quam dei
filius nobis enarrauit. Omnia eni
que facta ſūt. filius ex patre genitꝰ
condidit. Vniuerſa aūt que ꝯdita
ſunt ex p̄re ꝓcedens ſp̄us aīmauit
Hic igit̃ filiꝰ dei in mundū veniens
ꝟbis et miraculis aliā vitā eſſe no
bis mōſtrauit. Cui tyburtiꝰ Certe
vnū deū eē aſſeris et q̄ūo nūc tres
eſſe teſtaris? Rn̄dit cecilia Sicut in
vna hoīs ſapiētia ſt̃ tria. ſ. ingeniū
memoria et intellectꝰ. Sic et in vna
diuinitatis eſſētia tres ꝑſone eē pn̄t
Tūc cepit ei de aduentu filij dei et
paſſiōe p̄dicare et m̄ltas ꝯgruita
tes ipiꝰ paſſiōis oñdē Naʒ ideo in
q̄t filiꝰ dei eſt tentꝰ vt genꝰ humanū

dimittatur peccato detentum. Be
nedictus maledicit̄ vt homo male
dictus benedictionez ꝯſequat̄ Illu
di ſe patit̄ vt homo ab illuſione de
monū liberet̄ Spineā coronā acce
pit in caput vt a nobis ſententiam
auferat capitalē. Fel ſuſcepit ama
rum vt ſanaret hoīs dulcez guſtuz
Expoliatur vt parentū nr̄oꝝ ope
riat nuditatē In ligno ſuſpenditur
vt ligni preuaricationē tollat Tūc
tyburcius fratri ſuo dixit Miſerere
mei et ꝑduc me ad hominez dei vt
purificationē accipiam Duct᷒ igit̄
et purificat᷒ angelos dei ſepe vide
bat et omnia que poſtulabat ꝓtin᷒
obtinebat Valerian᷒ ergo ⁊ tibur
cius elemoſinis inſtabant et corpa
ſanctoꝝ quos almachi᷒ occidebat
ſepulture tradebāt Quos almachi
us ad ſe vocans. cur ꝓ ſuis ſceleri
bus damnatos ſepelirent inq̇ſiuit.
Cui tyburtius Utinaz ſerui illorū
eſſem᷒ quos dānatos appellas. qui
ꝯtempſerūt qđ videt̄ eſſe et nō eſt
et inuenerūt illud qđ videt̄ nō eſſe
et eſt Cui prefect᷒ Quidnā eſt illud
Et tyburtius Quod videt̄ eſſe et
nō eſt. eſt oīe qđ in hoc mūdo eſt
qđ hominē ad nō eſſe ꝑducit Qđ
vero videt̄ eſſe ⁊ eſt. eſt vita iuſtoꝝ
et pena maloꝝ Cui prefect᷒ Nō pu
to ꝙ mente tua loquaris. Tunc iu
bet aſtare valerianum dicens Qm̄
non eſt ſani capitis frater tuus. tu
ergo ſaltem ſapienter poteris dare
reſponſum Conſtat vos plurimuz
errare q̇ gaudia reſpuitis ⁊ omnia
inimica gaudijs affectatis Tūc va
lerianus ſe vidiſſe ait. glaciali tēpo
re ocioſos iocantes et operarios
agricolas deridentes. ſed eſtiuo tē
pore dū aduenilſent meſſes et glo
rioſi fruct᷒ laboꝝ. gaudentib᷒ illis
qui putabant̄ vani flere ceperunt
qui videbantur vrbani Sic et nos
nūc ſuſtinemus ignominiā et labo
rem. in futuro autē gloriam recipie
mus et eternā mercedem Uos au
tem nūc tranſitoriū habetis gaudi
um. in futuro aūt eternū inuenietis
interitū. Cui prefect᷒ Nos ergo in
victiſſimi principes eternū habebi
mus luctū. et vos ꝑſone viliſſime ꝑ
petuū poſſidebitis gaudiū Cui va
lerian᷒ Homuntiones eſtis nō ꝑn
cipes tp̄e veſtro nati citius moritu
ri et deo rationē plus omnib᷒ red
dituri Dixit autē prefectus Quid
verboruz circuitu immoramur? Of
ferte dijs libamina et illeſi abſcedi
te Sancti reſponderūt. Nos vero
deo quotidie ſacrifitiū exhibemus
Quibus prefect᷒ Qđ eſt nomē ei᷒?
Cui valerianus Nomē eius inueni
re nō poteris etiāſi pennis volaue
ris Cui prefectus Ergo iupiter no
men dei non eſt? Cui valerian᷒ No
mē eſt homicide et ſtupratoris Co
quem Almachius Ergo tot᷒ mun
dus errat ⁊ tu cum fratre tuo veꝝ
deum noſti? Valerianus reſpōdit.
Nos ſoli non ſumus. ſed innume
rabilis multitudo hāc ſanctitatem
recepit Traduntur igitur ſancti in
cuſtodiam maximi Quibus ille ait
O iuuentutis flos purpureus. O
germanus fraternitatis affectus.
quō ad mortem quaſi ad epulas
feſtinatis? Cui valerianus ait. Si

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſi crediturum ſe ꝓmitteret. gloriaꝫ
animaꝝ eoꝝ poſt mortem videret
Et maxim⁹ ꝯfulminib⁹ igneis cōſu
mar ſi non ſolū illum deum ꝯfitear
quem adoratis ſi ꝯtingat quod di
citis Tunc dixerunt Impetra a car
nificibus hui⁹ diei inducias et duc
nos in domū tuā et faciem⁹ te puri
ficari Quo facto venit cecilia cū ſa
cerdotib⁹ et baptiſati ſunt Ipſe igi
tur maxim⁹ et oīnis familia ac vni
uerſi carnifices dn̄o crediderūt et
a ſācto vrbano qui illuc occulte ve
nit baptiſma ſuſceperunt Igit̄ dū
aurora fineꝫ daret cecilia exclama
uit dicens Eya milites xp̄i. abiicite
opera tenebraꝝ ⁊ induimini arma
lucis Quarto igit̄ miliario ab vrbe
ſancti ad ſtatuaꝫ Iouis ducunt̄ et
dum ſacrificare nollent pariter de
collantur. quos cecilia cum ſanctis
colligens ſepeliuit Tunc maximus
cum iuramento aſſeruit ſe in hora
paſſionis eoꝝ angelos vidiſſe ful
gentes et animas eoꝝ quaſi virgi
nes de thalamo exeuntes quas in
gremio ſuo in celū angeli detulerīt
Almachius vēo audiens maximū
xp̄ianū effectū. cum plūbatis tādiu
cedi fecit quouſqꝫ ſpm̄ excuſſit. Cu
ius corp⁹ ſancta cecilia iuxta valeri
anuꝫ et tiburciū ſepeliuit. Tunc al
machius amboꝝ facultates cepit
inquirere et ceciliā tamqꝫ valeriani
ꝯiugē fecit corā ſe aſtare. Iuſſitqꝫ
vt ydolis imolaret. aut ſententiam
mortis acciperet Cū aūt ad hoc ab
apparitoribus vrgeret̄. et illi vehe
mēter flerent eo ꝙ puella taꝫ deco
ra et nobilis vltro ſe morti traderꝫ

dixit ad eos Hoc boni iuuenes nō
eſt iuuentuteꝫ perdere. ſed mutare
dare lutū ⁊ accipere auꝝ. dare vile
habitaculū et accipe precioſū. daē
breuem angulū ⁊ accipere foꝝ per
lucidum Si quis ꝓ mundo ſolidos
daret nonne velocius feſtinaretis?
Deus aūt qđ accepit ſimpluꝫ. red
dat centupluꝫ Creditis his que di
co? Et illi Credim⁹ xp̄m veruꝫ eſſe
deū qui talē poſſidet famulaꝫ Vo
cato ergo Vrbano ep̄o. cccc. et am
plius baptiſati ſunt Tunc almachi
us ſanctā ceciliā ad ſe vocans ait.
Cui⁹ ꝯditōnis es? Et illa Ingenua
ſum ⁊ nobilis Cui almachius Ego
te de religiōe interrogo. Et cecilia
Interrogatio tua ſtultuꝫ ſumit ini
cium qua duas reſponſiones vna
putat inquiſitiōe ꝯcludi. Cui alma
chius Vnde tibi tanta preſumptō
reſpondendi? Et illa De cōſcientia
bona et fide nō ficta Cui almachi⁹
Ignoras cui⁹ poteſtatis ſū? Et illa
Poteſtas veſtra eſt quaſi vter ven
to repletus quē ſi acus pupugerit
omnis ꝓtin⁹ rigor paleſcit Et quic
qđ in ſe rigidū habere cernit̄ incur
uat̄ Cui almachi⁹ Ab iniuriis ince
piſti et in iniuriis ꝑſeueras Cecilia
rn̄dit Iniuria non đr niſi qđ vbis
fallentib⁹ irrogat̄. vn̄ aut iniuriam
doce ſi falſe locuta ſum. aut te ip̄m
corripe calūniaꝫ inferētē Sꝫ nos
ſciētes ſcm̄ dei nomē oīno negare
nō poſſum⁹ Meli⁹ eſt eni felicit̄ mo
ri qꝫ infeliciter viuē Cui almachi⁹
Vt qđ cū tāta ſupbia loq̄ris? Et
illa. nō ē ſupbia ꝯſtātia Almachi⁹
dixit Infelix ignoras qꝫ viuificādi

et mortificandi mihi tradita eſt po
teſtas Et illa Cōtra veritatē publi
cā ꝓbo te nūc eſſe mentitū Vitaʒ
eni viuētib⁹ tollere potes. mortuis
aūt dare nō potes Es igit̄ miſter
nō vite ſed mortis Cui almachius
Jam depone amenciaʒ et ſacrifica
dn̄s Cui cecilia Neſcio vbi oculos
amiſeris. nā q̄s tu deos dicis om̄s
nos ſaxa eſſe videm⁹. Mitte igitur
manū et tangendo diſce. qꝛ oculis
videre nō potes. Tunc irat⁹ alma
chius iuſſit eā ad domū ſuā addu
ci. ibi q̄ʒ tota nocte et die iuſſit eaʒ
in bulienti balneo cōcremari. Que
q̄ſi in loco frigido manſit. nec modi
cū ſaltē ſudoris pſenſit Qđ audiēs
almachius iuſſit eaʒ in ipo balneo
decollari. Quā ſpiculator trib⁹ icti
bus in collo pcuſſit ſʒ tn̄ caput eius
amputare nō potuit Et qꝛ decretū
erat ne quartā pcuſſionē decollan
dus acciperet eā ſemi necē cruent⁹
carnifex dereliquit Per triduū aūt
ſupuiuens om̄ia que habebat pau
pib⁹ tribuit et omēs q̄s ad fidē cō
uerterat Vrbano epo ɔmendauit
dicens Triduanas mihi inducias
poſtulaui vt hos tue btitudini con
mendarē et hāc domū meā in eccle
ſiā ɔſecrares Sanct⁹ aūt vrbanus
corp⁹ eius int̄ ep̄os ſepeliuit et do
mū ſuā vt rogauerat in eccleſiā ɔſe
crauit. Paſſa eſt autē circa annos
dn̄i. ccxxiij. tpe impatoris alexādri
Alibi tn̄ legit̄ ꝙ paſſa eſt tpe marci
aurelij q̄ ipauit circa ānū dn̄i. ccxx.

De nomine

Clemēs dict⁹ eſt a cleos qđ
eſt gloria et mēs quaſi glo
rioſa mens. Habuit eni mentē glo
rioſaʒ ſcʒ purgataʒ ab omni ſorde
ornatā omni virtute et decoratam
nūc omni felicitate. Vel dicit̄ a cle
mentia. qꝛ clemēs et miſericors val
de fuit Vel ſicut dicit̄ in gloſario.
Clemens iuſtus dulcis matur⁹ pi
us Juſtus in actione. dulcis i ſmo
ne. matur⁹ in cōuerſatione. pius in
intētione Eius vitaʒ ipe in itinera
rio inſeruit. maxime vſqʒ ad illū lo
cū in quo qualit̄ beato petro in pō
tificatu ſucceſſit Cetera ex eius ge
ſtis que ɔmunit̄ habentur ſumunt̄.

De ſancto Clemente epiſcopo

Clemens ep̄s ex nobili ro
manoꝝ ꝓſapia ortus eſt.
Pater Fauſtinian⁹ Mater
vero ei⁹ Matidiana nuncupata eſt
Habuitqʒ duos fr̄es quoꝝ vnus
Fauſtin⁹. alter fauſt⁹ dicebat̄ Cuʒ
qʒ matidiana mater eius mira cor
poris pulcritudine polleret frat̄ vi
ri ſui libidinoſo amore in eaʒ vehe
menter exarſit Cū aūt eā quotidie
moleſtarʒ et ipa ſibi nullaten⁹ aſſen
tire vellet viro qʒ ſuo hoc reuelare
timeret ne inter duos fr̄es inimici
as ſuſcitaret. cogitauit p aliq̄t tem
pus ſe a pr̄ia abſentare donec illici
tus amor ɔquieſceret quē aſpectus
ſue preſentie inflāmaret Vt āt hoc
a viro ſuo obtinere valeret. ſomniū
callidū ɔfinxit qđ in hunc modum
viro retulit dicens Ecce quoddaʒ
mihi p viſum aſtitit numen. precipi
ens vt cōfeſtim cū duob⁹ geminis
meis. ſcilicʒ Fauſtino ⁊ Fauſto ab
vrbe diſcederem et tamdiu abeſſeʒ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf